



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:


- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

B⁷. Mm. 13.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT



K. K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

67. Mm. 13

PHILOSOPHIAE IURIS P R A E C O G N I T A,

QUAE SCRIPSIT

A. F. ÁLBELÿ,

AA. LL., PHILOSOPHIAE, ET I. V. DOCTOR, PER I.
REGNUM HUNGARIAE, ET PARTES EIDEM ADNEXAS
FORI V. I. IVRATVS CAVSARVM ADVOCATVS, I. SE-
DIS PRAEDIALIS V. CAPITVLI IAVRINENSIS NOBILI-
VM DE BÁCHA SEDRIALIS ASSESSOR, IN R. IAVRI-
NENSI SCIENTIARVM ACADEMIA IVRISPRVDENTIAE
NATVRALIS, ET PVBLIÇO - HVNGARICAE
PROFESSOR P. O.

Die tief eindringenden Rechtsfragen sind nun schon so allgemein geworden, daß sie selbst der gemeine Mann im Munde führt. Sie können also dem angehenden Rechtsgelehrten nicht verheimlicht, sie müssen vielmehr in dem öffentlichen Unterrichte aufgeworfen und mit strenger Wahrheitsliebe beantwortet werden: Eine gerechte Staatsverwaltung läuft dabey nicht die geringste Gefahr. Das sicherste Mittel, den gefährlichen Eindruck zu vereiteln, welothen die seichten Declamationen rapsodischer Schwätzer und aufwiegelnder Schwärmer auf flache Köpfe zu machen vermögen, ist die gründliche Unterweisung der jungen Staatsbürger, welche allmählich ihre Grundsätze sowohl in den öffentlichen als in den Privat-Verhältnissen verbreiten.

FR. V. ZEILLER. DAS NAT. PRIVAT-RECHT. WIEN, 1802.

IN DER VORREDE.

Comaromii, typis Emerici Valentini Weinmüller.

1831.

Versetzen wir in Gedanken uns selbst auf eine wüste Insel, ausser alle Gemeinschaft mit menschlichen, oder menschenartigen Wesen, so könnte von Rechten und Pflichten (letztere als Zwangspflichten betrachtet) gar nicht die Rede sein. Diese beiden Begriffe setzen immer voraus, daß wenigstens zwei sich gegenseitig erkennende und in möglicher Wechselwirkung stehende Ichs (ein relatum und ein correlatum) gegeben seien.

W. T. Krug. Diakropolitik. Leipzig, 1824.

Seite 37.



Praefatio.

Ineunte humano genere exorta est philosophiae iuris forma atque materia; quia haec philosophia ceu legislationis iuridicae, sana ratione a priori peruiuae, systema formam suam habet in sana ratione, siquidem ex eadem profluat, materiam vero capit ex liberis actionibus, siquidem tota haec philosophia, perhibente eiusdem praedicato iuris, versetur circa ius, seu facultatem quasuis suscipiendi actiones liberas, sociali humani generis coëxistentiae nequaquam repugnantes; iam autem ineunte humano genere exstitit sana rationalitas, exstiterunt dein liberae actiones: nihilominus vberior formae huius cum allata materia nexus nonnisi cum ciuitatum origine exoriri potuit, siquidem introductis duntaxat ciuitatibus iurium priuatorum et publicorum, horumue tam internorum quam externorum

inualuisset differentia vberior /: ciuilibus:/, et necessitas eadem systematice colendi maior. Extra ciuiles hominum correlationes iura nec in societate absoluta, nec in reliquis societatibus relatiuis adeo explicari potuerant, vt indigentiam scientificae cuiusdam culturae prouocauissent ampliozem. Hinc quoque euenit, iam primos ciuitatum rectores atque legislatores de iuribus ciuilibus fuisse philosophatos, ipsosue iurisconsultos tum, vt legum posituarum subuenirent penuriae, tum vt, per clientes consulti, responsa sua ex quadam vniuersali et necessaria cogitandi forma deriuare possent, sub sanae rationis auspiciis ad fundandam philosophiam practicam, eiusue integram partem, philosophiam videlicet iuris, suam contulisse symbolam. Plus tamen videntur ad eandem excolendam egisse philosophi graeci, ac inter hos Socrates, Plato, Aristoteles, Zeno, et c. (a), qui, dum liberarum actionum scrutarentur et docerent normam, necessario prima philosophiae iuris stamina in nexu cum reliqua philosophia euoluerunt. Romani demum iurisconsulti, in stoicismum propendentes, facile quoque Stoeae doctrinam suis de iure commentationibus intulerunt, atque sic ad philosophiae iuris cul-

(a) Xenophon in memor. Socratis L. IV. C. 4. et Plato de republica. L. I. Aristoteles in ethica, oeconomica et politica.

turam accesserunt propius (b). Magis adhuc iurium horum rationalium culturae fuit introducta inter Romanos Iesu Christi moralis doctrina, quia haec, humano generi dignissima, moralitatem eiue iunctam felicitatem consectandam hominibus proposuit ex aequo, ciuilia instituta, ex quibus praecipua suae securitatis subsidia moralitas ista in hoc aspectabili terraqueo orbe capit, conseruanda docuit, et rationalitati in diiudicanda moralitate suam assignauit partem, auctoritatemue (c).

Conamina haec quantacunque, barbarorum medio aeuo incursionibus impedita, subin in bononiensi vniuersitate, inuenerunt propugnatores; siquidem multa philosophiae iuris principia, velut: *honeste /: in sensu acocomodo: / viue; suum cuique tribue; neminem laede*; et c. institutionibus iuris ciuilis romani, pandectis, et codicibus, quae in hac vniuersitate cum primis tradi coeperunt, contenta, docentes et discentes, iudices et causantes ad eiusdem philosophiae iuris seriam cultu-

(b) Cicero de officiis et legibus. Cornelius Nepos in Themistoclis vita.

(c) Imperator Constantinus, christianis sacris addictus, sustulit iuri rationali aduersum ius formulare L. II. cod. de formulis et impetr. act. toll. Christianus imperator Iustinianus abrogauit labem natiuitatis in tit. cod. de latina libertate toll., de dedit. lib. toll.

ram direxissent. Hinc euenit, plura ex hoc philosophiae ramo tentamina instar introductionis in statutariam iurisprudentiam subin conspexisse lucem (d). Maxima tamen coepit philosophia iuris incrementa ex diuersis in Europa et America politicis vicissitudinibus, quia rerum istae vicissitudines auxerunt inter eruditos mutuam oppositionem, prouocarunt praecipua nationum ingenia, et, vt editis a se apologiis malo subuenirent medela, excitarunt politicos atque publicistas, qui inter diuersas ambages, argumentorum suorum firmitati ex iuris rationalis, per se vniuersalis, necessarii ac immutabilis, conceptu consulturi, complures controuersas iuridicas resolverunt quaestiones, et publicos doctores ad ea obiecta, quae feraciorem humanitati propinant vsum, solertius perficienda disposerunt.

Hinc quoque repeti debet, quod inter omnes philosophiae iuris partes cumpri-
mis iura, in ciuitate vigentia, systematice proponi coeperint. Primus enim, qui philosophiam iuris, ceu quoddam sana ratione peruiorum principiorum systema scripsit, fuit Hugo des Grotes, trium librorum, *de iure belli et pacis* Parisiis (1625.) praelo subactorum, auctor. Hic quidem libris suis co-

(d) I. Oldendorp (1539.), N. Hemming (1564.), M. Stephani (1615.), B. Winkler (1615.), et c.

nabatur iura ciuilia publico - externa , sola sana ratione peruia , redigere in systema , suo tamen systemati praecipua iurium rationalium extraciuilium capita praemisit , et quoddam socialitatis principium eo fine stabilire est conatus , vt subin iura , vt is aiebat , gentium solidae cuiquam basi superstrueret. Alter , qui hanc salebrosam ingressus est viam , fuit Thomas Hobbes , qui iurium ciuiliu publico - internorum systema duplici dissertatione , quarum prior Parisiis (1642.) sub inscriptione *elementorum philosophiae* , posterior vero Amstelodami (1667.) sub intitulatione *Leviathan* conspexit lucem , scribere , et in sui conseruatione fundare adlaborauit.

Tertius , qui in hac sphaera semet distinxit , fuit Samuel Puffendorf ; quia praeter iura ciuilia publica adhuc iura extraciuilia duplici suo opere , libro nimirum *de elementis iurisprudenciae vniuersalis* Hagae Com. (1660.) , et libris octo *de iure naturali et gentium* Londini Scan. (1672.) in systema redegit , primus in Germania Heidelbergae publice docuit , et , quatenus iuris conceptum ad omnes moralitatis rationalis retulit partes , fuit antecessor scholarium illorum , qui subin *moralistarum* nomine inclaruerunt. Sequaces autem numerosissimos per Germaniam , Galliam atque Britanniam hodienu numerat , quorum quidam , etiamsi cum auctore philo-

sophiam suam socialitati superstruere intendant, tamen, quia socialitatem potius consecrandam, quam non turbendam principii instar supponunt, cuncta moralitatis rationalis officia suis complectuntur systematibus, iusue, seu moralitatem externam, cum virtute, seu moralitate interna, confundunt, ac propterea doctrinam suam reddunt satis fluxam. Praeter plures Samuelis Puffendorf in iuris rationalis conceptu sectatores, memoratu dignos (e), singularem reflexionem meretur Godefridus Guilelmus Leibnitz (1747. 1748.) propter seueriorem scientificam methodum, iurisprudentiae rationali inductam, Christianus L. B. Wolf (1740. — 1750.) propter vastae suae lectionis apparatus, quo philosophiam iuris muniendo plurimos sibi addixit lectores, Godefridus Achenwall (1752. 1774.) propter europearum gentium iurisprudentiam, ceu partem integrantem (f), philosophiae iuris coniunctam, et Carolus Antonius L. B. Martini propter *positiones de lege natu-*

(e) H. Köhler (1729.), I. G. Darjes (1740.), I. Burlamaqui (1741.), Mably (1747.), G. Heineck (1749.), I. I. Schmauss (1754.), Vattel (1758.), I. N. Ujfalusi (A' természeti hármás törvény. I. rész. Pesten, 1825.), et c.

(f) Confer meam *encyclopaedicam in studium iuridico-politicum introductionem*. Comaromii (1830.) editam, pag. 8.

rali, et iure politico, Windobonae (1772.)
 procusas, caesareo-regiarum, austriaco-hae-
 reditariarum, ditionum literariis institutis
 quondam praescriptas. Positiones has est com-
 mentatus Georgius Rasp (1795.), et Adamus
 Brezanóczy (1795.).

Ad hanc quoque moralistarum scho-
 lam pertinet Christianus Thomas, qui *insti-
 tutionibus iurisprudentialibus divinae*, Lipsiae
 (1688.) editis, socialitatem, deinceps *vero
 fundamentis iuris naturalis, et gentium*,
 Halae (1705.) impressis, felicitatem cum sub-
 ordinatis honesti, decori et iusti principiis
 ceu suae philosophiae iuris fundamentale
 principium assumsit, quorum posteriori se-
 parandis a reliqua moralitate iuridicis officiis,
 quatenus talia in necessitatis casu coactionem
 quoque admittunt materialem, dedit occasio-
 nem, qua vsi sunt Ephraim Gerhard (1712.),
 et Nicolaus Hieronimus Gundling (1714.),
 qui tamen nimium in empirismum propen-
 dendo quampiam *pragmaticorum* iuris posi-
 tiui, potissimum romani, auspicati sunt scho-
 lam, quae, sub iuris naturae nomine logico-
 historicam causarum et consecratorum statu-
 larii cuiusdam iuris deductionem docendo, a
 philosophiae iuris conceptu procul aberrat (g).

(g) H. Cocceji (1699.), Schierschmid (1742.), Henr. L.
 B. Cocceji (1744.), Sam. L. B. Cocceji (1748.), Net-
 telblatt (1748.), G. Hugo (1798.), I. G. Sammet

Postquam tamen regiomontanus philosophus, Imanuel Kant, edita a se (1781.) rationis purae critica, philosophiam ad altius euexisset fastigium, viam quoque ad accuratorem officiorum moralium, eorumque interiorum ac exteriorum separationem praemonstravit, quam plures ingrediendo *criticorum* philosophiae iuris scholam praepararunt, inter quos (h.) reflexione est dignus Theophilus Hufeland (1790. 1795.) ex eo, quod primus iura ciuilia priuata, sana ratione peruia, distinxerit vberius. Postquam demum Imanuel Kant, edita a se Regiomonti (1797.) sub titulo: *Metaphysische Anfangsgründe der Rechtslehre*, metaphysica iuris, philosophiam iuris a cognatis scientiis distinxisset, quaestiones antea ambiguas resoluisset, ac allatam philosophiam, inducto eidem ex sanae rationis forma principio, solide perfecisset, criticam quoque philosophiae iuris scholam, solidae basi superstructam, cum copiosissimis discipulis (i) fundauit. Horum numero con-

(1799.), I. Fries (1803.), E. Schulze (1813.), T. M. Zachariae (1820.), et c.

(h) T. Schmalz (1790.), I. C. Hoffbauer (1793.), R. L. Pörschke (1795.), L. H. Jakob (1795.), et c.

(i) I. H. Tieftrunk (1797.), H. Stephani (1797.), I. S. Beck (1798. 1820.), C. H. Gros (1802.), A. Bauer (1808.), L. Dresch (1810.), W. T. Krug (1817.), C. H. L. Pölitz (1823.), H. R. Stöckhard (1825.),

tinetur Franciscus Zeiller, cuius opus sub epigraphe: *Das natürliche Privat-Recht*, Windobonae (1802) procusum, altissimam caesareo-regiam retulit approbationem. Opus istud Franciscus Egger (1809. 1810. 1815.), et Michaël Szibenliszt commentationibus suis subin auxerunt. Altissima quoque caesareo-regia auctoritate indulgetur, vt *institutiones iuris naturae*, auctore M. Szibenliszt Iaurini (1820. 1823.) editae, in publicarum praelectionum vsum adhiberi possint (k).

Sunt quoque *idealistae* (l), et *mystici* (m), qui eandem officiorum sphaeram cum philosophiae iuris critica schola tenent quidem, principiis tamen ab eadem admodum diuergunt, ac propterea, dum superiores ideales regiones petunt, iurisconsultis, realita-

Jo. Christ. L. B. Aretin (1824. 1827. 1828.), C. Rotteck (1829. 1830.), et c.

(k) Confer consilii regii locumtenentialis hungarici intimatum, ad superiorem iaurinensem studiorum directionem, sub dato 28-ae Octobris, anni 1823., numero 26,869, dimissum.

(l) I. T. Fichte (1796. 1797.), G. Bay. dein Köppen (1819.), et c.

(m) F. I. Schelling (1796. 1797. in scriptis periodicis, a Fichte, et Niethammer editis), I. Thanner (1801.), I. Nibler (1805.), Troxler (1820.), G. W. F. Hegel (1821.), et c.

tem quaerentibus, exilem praestant vsum. *Eclectici* tandem et *sceptici* singularem scholam non constituunt; quia illi (n) inter plures nutant in medio, isti vero omnem reiiciunt iuris rationalis possibilitatem.

Atque haec sunt, quae iurisprudentiae alumnos, antequam delibandae philosophiae iuris semet accingant, in hac praefatione breuibus cognoscere iuuat, vt subin suo coepto deseruientia subsidia sibi deligere valeant; amplior enim vicissitudinum philosophiae iuris enumeratio ad eiusdem disciplinae calcem in literaria philosophiae historia est duntaxat peruia, quia ad has multiplicium, arctissimum cum vniuersa philosophia, eiusdem tyronibus necdum plene cognita, nexum habentium, principiorum, atque opinionum disquisitio pertinet (o).

(n) I. G. H. Feder (1779.), L. I. F. Hoepfner (1780.), I. A. Schlettwein (1784.), et c.

(o) Vberiora philosophiae iuris fata dant sequentes historici. G. Ch. Gebauer *noua iuris naturalis historia*, edita per Klevesahl Wetzlarini (1774.), Diet. Henr. Lud. L. B. Ompteda *Literatur des gesammten sowohl natürlichen, als positiven Völkerrechts*, I. II. Oeniponti (1787.), III. contin. per C. A. Kamptz (1817.), F. I. Stahl *Die Philosophie des Rechts nach geschichtlicher Ansicht*, I. Heidelbergae (1830.) edit., et c.

Prooemium.

Philosophia iuris, ceu philosophiae practicae pars integrans, proxime supponit actionis, obligationis dein ac legis moralis notionem, sed multum quoque interest in eiusdem philosophiae principio eandem accurate definire, et a reliquis analogis doctrinis secernere, eiusdem dein vsum, ac subsidia, et generalem partitionem cognoscere: igitur nec abs re vniuersae iurium, pure alioquin rationalium, philosophiae praemittitur praecognitionum instar articulus I. *de actione, de obligatione ac lege morali, et de imputatione*, articulus II. *de principiis, et differentia specierum legislationis moralis, sana ratione a priori peruiuae*, tandem articulus III. *de philosophiae iuris usu, subsidiis, et generali partitione.*

Articulus I.

A.) De actione, B.) de obligatione ac lege morali, et C.) de imputatione.

§. 1.

A.) Philosophiae iuris, ceu philosophiae practicae pars, tractat certam libertatis, actionumue liberarum normam: igitur oportet

in eiusdem cultura cumprimis habere actionis conceptum in genere, dein actionis cuiusvis, cuius in philosophia iuris respectus haberi debet, cognoscere differentiam in specie (a).

Actio in genere vocatur omnis mutatio, quae in illo ente, quod mutationem subit, rationem sufficientem habet; actioni autem tali opponitur *perpessio*, quia ista est mutatio, quae extra ens, mutationem persentiscens, in tertio quopiam ente suam habet sufficientem rationem. Inter diuersos vero speciales respectus, quos allata actionis notio in philosophia iuris habet, cumprimis notari merentur possibilitatis, necessitatis, et libertatis respectus. Est autem *actio possibilis* in genere illa, quae citra quamquam contradictionem concipitur, estue vel obiectiue, vel subiectiue talis. *Actio obiectiue possibilis* est illa actio, quae in se non repugnat, e. g. plantis crescere. *Actio subiectiue possibilis* est illa, quae animalitalis viribus non repugnat, e. g. homini deambulare. Possibili actioni opponitur impossibilis, et quidem obiectiue possibili *obiectiue impossibilis*, subiectiue possibili vero *subiectiue impossibilis*; quia illa in se repugnat, velut: Deum mori, haec vero animalitatis viribus repugnat, e. g. homini tangere digito satellitem telluris. Actio porro possibilis est vel *absolute talis*, quae

sub nulla circumstantia aliquam inuoluit contradictionem, vel *hypothetice* seu *relatiue possibilis*, quae sub certa circumstantia contradictionem non inuoluit. Actiones demum absolute aut relatiue impossibiles e conuerso concipi debent. Actio quoque datur *necessaria*, seu talis, cuius opposita est impossibilis, estue vel obiectiue, vel subiectiue talis. *Actio obiectiue necessaria* est illa, cuius opposita est in se impossibilis, vt: Deum viuere, *subiectiue vero necessaria* est illa, cuius opposita est animalitatis viribus impossibilis, vt: hominem mori. Necessariae actioni, vtroque sensu sumtae, eadem ratione opponitur actio *contingens*, cuius opposita pluribus modis exsistere potest, et quidem actioni obiectiue necessariae *actio obiectiue contingens*, seu talis, cuius opposita in se impossibilis non est, sed potest pluribus modis fieri, e. g. pluere coelum, et actioni subiectiue necessariae *actio subiectiue contingens*, seu talis, cuius opposita viribus animalitatis non est impossibilis, adeoque tales animans pluribus modis ponere potest, e. g. praelectionibus interesse musarum alumnus. Necessaria tamen actio adhuc absolute, aut relatiue talis esse potest. *Actio absolute necessaria* est illa, cuius opposita est absolute impossibilis, seu sub quibusuis circumstantiis repugnans, e. g. hominem mori, *actio*

vero *relatiue necessaria* est illa, cuius opposita est *relatiue impossibilis*, seu sub certis saltem circumstantiis repugnans, e. g. homini comedere, si is viuere vult. E conuerso *actio absolute contingens* sub omnibus circumstantiis, actio vero *relatiue contingens* duntaxat sub certis circumstantiis pluribus modis fieri potest, sic: absolute est contingens actio, hominem viuere, relatiue vero contingens, hominem sedere aut ambulare. Proinde *nec impossibilis, nec necessaria actio fieri potest contingens*, quia impossibilis nec existit, necessaria vero saltem vnico modo suscipi potest, vbi tamen contingens pluribus modis fieri potest. Nilominus *haec regula duntaxat de actione absolute necessaria, vel impossibili est citra omnem exceptionem intelligenda*. Absolute inquam necessaria actio nunquam potest esse contingens, siquidem talis sub omnibus circumstantiis saltem vnico modo existere possit, relatiue tamen necessaria actio euadere quoque potest contingens, quia eiusdem opposita saltem sub certa circumstantia repugnat, adeoque extra illam potest pluribus modis determinari. Eodem modo de actione absolute, aut relatiue impossibili est argumentandum. Denique *nec potest quaequam actio, iam posita, quoad suam existentiam fieri contingens*, quia factum infectum fieri nequit, adeoque pluribus modis existere non potest.

(a) Quae-

(a) Quaedam ex reliqua philosophia, philosophiam iuris praecedente, obiecta articulo primo saltem propter frequentiore eorundem in philosophia iuris vsum instar transitionis recapitulantur.

§. 2.

Vlteriore actionum cum primis liberarum differentia, in hac iuris scientia praemittenda, habito duntaxat spontaneitatis, nudi arbitrii, et ipsius libertatis conceptu fit peruia.

Est autem *α.*) *spontaneitas* quaedam potentia entis per principium efficiens internum aliquid citra omnem contingentiam agendi. Hinc spontaneitas ista cuius omnium trium regnorum, mineralis nimirum, vegetabilis et animalis, enti est propria. Ita: saxa percussa reperiuntur, plantae crescunt, animantia loco mouentur.

β.) *Nudum arbitrium* /: non liberum /: est facultas entis citra cuiusvis rationalitatis influxum per principium efficiens internum in iisdem circumstantiis quidpiam agendi, vel non agendi. Hinc in arbitrio praeter spontaneitatem requiritur adhuc contingentia; quia facultas ista in iisdem circumstantiis semet pluribus modis exserere potest (§. 1.). Hoc igitur arbitrium tam brutis, e. g. caniculo, herum iam praecedenti,

iam sequenti, quam etiam hominibus, qui actiones quasdam in iisdem circumstantiis ponere, aut non ponere possunt, quin ideo rationalitate utantur, inest, velut: id in infantibus, prolibus, et mente motis frequenter euenire solet.

γ.) *Libertas* est facultas proprium arbitrium ope rationis determinandi. δ.) Hinc tria sunt libertatis essentialia requisita: spontaneitas nimirum, contingentia et intelligentia; quia spontaneitas et contingentia in libertate referuntur ad arbitrium, ex intelligentia vero in libertate consurgit ratio. ε.) Quare haec libertas soli homini est propria; quia haec tria libertatis requisita duntaxat homini prae reliquis huiusce mundi entibus insunt.

§. 3.

Praemissa arbitrii nudi, et libertatis notione, actionum quoque pure arbitrariarum, dein liberarum, vltronearum, ac moralium conceptus facile peruius euadit.

Actiones inquam α.) *hominis arbitrariae* ab eiusdem pura animalitate, praescindendo ab omni rationalitate, proueniunt, ac in iisdem circumstantiis esse, aut non esse possunt, e. g. sedere, ambulare, et c. proptereaue tales actiones etiam pure *animales* appellantur. His opponuntur actiones *non arbitrariae*, quae praescindendo a rationali-

tate ita eueniunt, vt tantum vnico modo esse possint, et quarum oppositae sint impossibiles, inde etiam *necessariae* dictae, e. g. mori. *Mixtae* vero *ex his* sunt quoad sui existentiam in se *necessariae* quidem, quoad modum tamen existendi *arbitrariae*, velut: hausto veneno mori.

β.) *Actiones hominis liberae*, seu *humanae* sunt actiones *arbitrariae*, a rationalitate dependentes, actiones vero *non liberae* sunt actiones nude *arbitrariae* ∫: *animales*: ∫ aut *spontanae*.

γ.) Ex his liberis actionibus aliae sunt *vltroneae*, seu ex magna motiuorum abundantia, aliae vero *inuitae*, seu pugnantibus in contrarium motiuis positae, sic: mercator diuenditis cum lucro mercibus domum reuertitur vltro, mercator vero, nauim suam exorta in oceano procella saluaturus, merces suas eiicit inuitus. δ.) Aliae sunt actiones *morales*, seu tales liberae actiones, quae secundum cognitionem sequendi veri boni, vel vitandi veri mali determinantur, aliae vero *immorales*, seu tales actiones liberae, quae secundum cognitionem sequendi apparentis boni, vel vitandi apparentis mali determinantur. Apparens enim bonum, quia saltem tale apparet, est verum malum, et e conuerso apparens malum, est verum bonum.

ε'.) Hinc *moralitas* subiectiue est promptitudo actiones liberas, vero bono, *immoralitas* autem promptitudo actiones liberas, vero malo conformes, ponendi; *moralitas* obiectiue est ipsa promptitudinis liberas actiones ponendi vere bona, *immoralitas* autem vere mala affectio.

ς.) Hinc denique libertas, quatenus illa ad verum bonum refertur, bene appellatur *facultas moralis*; quia eatenus libertas est facultas, quae nudum arbitrium ad verum bonum consecrandum, aut verum malum vitandum determinat (§. ε').

§. 4.

B.) In philosophia quoque hac practica iuuat praemittere obligationis ac legis moralis, et imputationis conceptum, subiectum, obiectum, atque fundamentum; siquidem conceptus isti ad explicandam actionum normam, quam proxime haec considerat philosophia, conferant multum.

Ex communi vsu loquendi *obligatio moralis* est relatiua necessitas secundum veri boni cognitionem agendi, vel non agendi, liberae voluntati imposita, *lex vero moralis* est propositio, hanc enuncians moralem obligationem. Hinc α'.) necessitas ista potest esse saltem *relatiua*, quia secus ceu absoluta, quae contingentiae conciliari nequit (§. 1.),

quaeue propterea omnem libertatem suffert (§. 2.), nequaquam potest moralem constituere obligationem. β' .) Ad essentiam obligationis moralis porro spectat id, *vt secundum cognitionem veri boni sequendi, et veri mali vitandi determinetur*, quia secus itidem non potest esse moralis (§. 3.); vt deinde γ' .) talis obligatio in suis consecrariis vel *quidpiam boni, vel quidpiam mali contineat*, siquidem secundum cognitionem veri boni, aut mali determinetur. Quapropter sustineri quoque potest, obligationem quamuis moralem in genere vel *praemium, vel poenam* necessario continere; quia liberae actionis, quam obligatio proxime supponit, consecrarium bonum in genere praemium, consecrarium vero malum poena ex communi vsu loquendi appellatur.

δ' .) Ad essentiam vero legis moralis spectat *propositio*, seu legis edictum, quod effert, quid agendum aut omittendum sit, et *obligatio moralis*, seu legis sanctio, quae propositis malis aut bonis actionis libere consecrariis dictam necessitatem relativam imponit; quia lex moralis est propositio, enuncians obligationem moralem. ϵ' .) Ad cuiusvis legis moralis porro essentiam spectat eiusdem *promulgatio*, seu actio, qua efficitur, vt is, cuius liberae voluntati relativam necessitas imponenda venit, talem cognoscere

queat; quia ad essentiam legis moralis requiritur obligatio moralis, haec autem citra legis promulgationem concipi nequit, siquidem intermissa propositionis promulgatione voluntas, cui imponenda foret necessitas, non sit libera ex defectu intelligentiae (§. 2.), adeoque praetensa necessitas, quae voluntatis omnem excludit libertatem non est relatiua (§. 1.), neque per se potest esse obligatio moralis (§. 2.).

5.) Denique tali obligationi et legi morali, quae proxime libertatem, ad verum bonum relata, respicit, est illud proprium, quod epitheto *moralis* distingui debeat a qualibet huiusce mundi lege, aut obligatione, nullam libertatem, libertatisue ad verum bonum correlationem supponente, sic passim dicta *physica* /: rectius ab alia formali aut quacunque materiali: /.

§. 5.

Praemisso hoc obligationis atque legis moralis conceptu sequentia sunt peruia consectaria.

2.) Cum obligatio et lex moralis libertatem, libertas autem cumprimis supponat intelligentiam, hanc vero intelligentiam duntaxat entia sola, rationis vsu praedita, habeant (§§. 2. 4.), obligationis quoque et legis moralis *subiectum* sunt sola entia, rationis vsu praedita. Hinc 3.) infantes, mente

moti, plene ebrii, aut bruta obligationis et legis moralis subiectum non sunt; quia carent rationalitatis usu.

γ'.) *Obiectum* obligationum ac legum moralium sunt solae liberae actiones; quia obligatio et lex moralis supponendo libertatem vna duntaxat liberas actiones pro obiecto habere debet, secus tota obligatio et lex foret inanis; obligaret enim nihil, si libertas in certis actionibus, in quibus se saltem manifestat, non obstringeretur: igitur ad obligationis ac legis moralis obiecta similes liberae actiones spectare debent. δ'.) Hinc actiones iam positae nequeunt obligationis et legis moralis constituere obiectum, quia actiones, quae iam sunt positae, propter defectum contingentiae (§. 1.—3.) non sunt liberae; dein impossibiles, quia impossibiles itidem propter defectum contingentiae (§. 1.) etiam non sunt liberae; sufficienter demum non promulgatae, quia non promulgatae ignorantur (§. 4. ε'), tales vero propter intelligentiae defectum liberae non sunt (§. 2. δ').

ε'.) Obligationis et legis cuiusvis moralis *fundamentum* /: vltimum: / est practica sana ratio; quia homo in inquirenda vltima alicuius obligationis ac legis moralis causa saltem tunc conquiescit, dum perspicit, eam sanae rationi conuenire, iam autem haec ratio, actionum conuenientiam exprimens, vo-

catur practica, causa vero talis vltima ex communi vsu loquendi recte dicitur fundamentum.

§. 6.

C.) *Imputatio* est iudicium, quo factum, seu actio libera, circumstantiis loci, temporis, et personae vestita, ac eiusdem consecutaria bona aut mala libertati alicuius attribuuntur, proinde imputatio definiri quoque potest ceu iudicium, quo declaratur, quispiam propter suum factum mereri praemium vel poenam; quia consecutaria actionis liberae in genere praemium vel poenam sapiunt (§. 4. γ').

Hinc α') in qualibet imputatione *cum primis debet demonstrari factum*, et duntaxat eodem demonstrato potest declarari, cum eodem facto connexum esse praemium aut poenam, auctori facti attribuendam; quia id sibi vult definitio imputationis, qua primo factum, deinde facti consecutaria alicuius attribuuntur libertati.

β') Imputationis *subiectum* potest esse duntaxat ens, libertate praeditum; quia eadem factum, et facti consecutaria libero alicuius attribuuntur arbitrio. Quare γ') bruta et mente moti imputationis subiectum non sunt; quia desiderata libertate ex rationalitatis defectu destituuntur.

8'.) Imputationis *obiectum* constituit duntaxat libera actio; quia imputatur factum, quo duntaxat intelligitur libera actio. Quare 9'.) nequeunt imputari cuiquam aliena facta, ad quae is non concurrit nudae perpersiones, actiones simpliciter coactae, quas euitare eidem fuit impossibile, mere fortuiti casus, ex improviso aut ex ineuitabili causarum nexu euenientes; quia tales propter spontaneitatis defectum non sunt liberae. 10'.) Nequeunt imputari actiones absolute necessariae, aut impossibiles; quia tales ex contingentiae defectu non sunt liberae. 11'.) Sed nec possunt imputari actiones, in dementia, infantia, ignorantia inuincibili, et c. patratae; quia hae ex intelligentiae defectu non sunt liberae (§. 2. 8'). 12'.) Si quis tamen sua culpa imbecillitatem, propter quam libere non agit, contraxisset, tunc, quia liberam in sua causa posuit actionem, imputationem quoque subit in suo causato, quod nimirum ex eadem proficiscitur causa, sic: alicui actiones, quas is in ebrietate posuit, imputantur, si praeuie semet sponte inebriauit.

Denique 13'. imputationis *fundamentum*, seu eiusdem ratio sufficiens in obligatione et lege morali quaeri debet, quia per imputationem auctori attribuuntur consectaria, cum eiusdem facto connexa, praemium nimirum vel poena, iam autem obligatio

duntaxat quaevis et lex moralis necessitatem agendi voluntati imponendo praemium vel poenam cum facto connectit (§. 4. γ'): ergo saltem ex obligatione et lege morali, ceu ex fundamento cognosci potest, factum quodpiam cum suis consecrariis alicui imputandum.

Tandem δ') in imputatione observari debent certi *gradus*, hoc est, actiones hominis liberae, quae pro ratione auctae aut diminutae spontaneitatis, contingentiae et intelligentiae, ex quibus videlicet libertas consurgit (§. 2. δ'), iam magis, iam minus liberae esse possunt, eo magis aut minus imputari debent, quo magis aut minus sunt liberae, seu propter magis liberam actionem bonam maius, propter minus liberam actionem bonam minus attribui debet praemium eiusdem liberae actionis auctori. Ratio huius consequentiae est sequens. Certum inquam est, quod effectus debeat esse in ratione suae causae, iam autem ex adductis patet, imputationis causam esse actionum libertatem, effectum vero praemium, vel poenam: ergo etiam pro ratione actionis magis liberae bonae, vel malae maius quoque praemium, vel maior poena auctori eiusdem imputari debet. Quod autem in tali imputatione obtineat gradatio, satis est peruium.

Articulus II.

A.) De principiis, et B) differentia specierum legislationis moralis, sana ratione peruiæ.

§. 7.

A.) Ex suprema philosophandi regula: *vita omnem contradictionem*, assequitur homo, sibi per practicam sanam rationem imponi relativam in libertatis suae exercitio necessitatem sequendi verum bonum, et vitandi verum malum; quia secus in eodem exercitio non vitaret omnem contradictionem. Cognita porro hac necessitate facile concipere potest is *legislationem moralem, sola sana ratione peruiam*, seu obligationum ac legum moralium, pure rationalium, complexum /:sensu obiectiuo:/; siquidem dicta necessitas, hominis libertati ideo imposita, ut is certum in suis actionibus seruet modum ex communi loquendi vsu appelletur *obligatio*, propositio vero, eandem enuncians *lex* (§. 4.), et quidem *rationalis*, quatenus sana ratione foret peruia, *moralis* vero, quatenus eadem verum bonum consecrandum, verum autem malum vitandum proponeret. Similis vero obligationis et legis homo assequendo conceptum, etiam facile concipit similium obligationum ac legum complexum, ceu *legislationem moralem, sana ratione peruiam*.

Praemisso hoc legislationis moralis ac rationalis conceptu peruium fit a'), eiusdem legislationis supremum principium, ceu supremus moralitatis conceptus, quo altior, solam et uniuersam rationalem moralitatem continens, non datur, in libertatis cum sana ratione consensu consistere, et sequenti enunciari posse propositione: *libertas illa, quae sanae s; practicae s; rationi conuenit, est moralitas rationalis*; quia 1.) in hoc libertatis cum sana ratione consensu continetur moralitatis rationalis, tam subiectiue, quam obiectiue sumtae, in genere conceptus, siquidem moralitas rationalis subiectiua, seu promittitudo liberas actiones, vere bonas, suscipiendi, et, vere malas, vitandi sit ipsa libertas, et quidem sanae rationi conformis, secus enim non ad bonas actiones suscipiendas, malas vero vitandas dirigeretur, cum sana ratio citra sui contradictionem nequeat esse vero bono diformis; siquidem demum moralitas rationalis obiectiua, seu ipsa eiusdem promittitudinis affectio bona sit ipsa libertatis sanae rationi conuenientia, quam dictum quoque principium complectitur; quia 2.) ex hoc duntaxat libertatis consensu dignosci potest tota legislatio moralis, sana ratione peruia, a quauis alia legislatione, siquidem hic libertatis cum sana ratione consensus vltimam legislationis moralis-rationalis differentiam o-

stendat, eiusdem nimirum immediatam sanae rationi conuenientiam, per quam quaeuis alia legislatio moralis a legislatione ista differt.

Hinc quoque β') fluit, obligationem quamuis moralem-rationalem, dicta legislatione contentam, consistere *in necessitate conformandi libertatem sanae rationi*, secus enim talis obligatio non foret moralis et rationalis. Atque haec necessitas libertatem conformandi sanae rationi est omnium obligationum moralium-rationalium suprema, quae sequenti imperatiuo, ceu suprema lege morali, sana ratione peruia, exprimitur, nimirum: *age sanae rationi* /:practicae:/ *conuenienter*; quia ex allata obligatione et lege omnes, et solae obligationes ac leges morales-rationales deriuari possunt. Siquidem 1.) quaeuis obligatio atque lex moralis-rationalis adducta suprema obligatione atque lege contineatur; quia quaeuis talis obligatio allatam necessitatem, et quaeuis lex dictum imperatiuum sapit, secus enim nec foret *rationalis*, nec *moralis*, si nimirum repugnando sanae rationi, repugnaret quoque supremo practicae sanae rationis postulato, quod sic enunciatur: *fac bonum, et uita malum*. Siquidem 2.) dicta obligatione atque lege solae duntaxat morales-rationales obligationes atque leges contineantur; quia obligatio quaeuis et lex, dicta obligatione atque lege su-

prema contenta, est sanae rationis dictamen, adeoque rationalis obligatio atque lex, et, quatenus foret sanae rationis, quae duntaxat bonum faciendum, et malum vitandum proponit, a priori consecrarium, est vna moralis. Accedit deinde id, quod allata lex, moralitatis rationalis suprema, generalem obligationum atque legum moralium-rationalium conceptum, primae cogitandi formae, sequenti propositione: *vita omnem contradictionem*, expressae, applicitum, in se contineat.

Hinc γ') ex eodem supremo principio tota quoque *philosophia practica*, a priori deducta, deriuari debet; quia per hanc philosophiam intelligitur aliquod rationale legislationis moralis systema, seu obligationum atque legum moralium, mutuo connexarum, et sana ratione a priori peruiarum, complexus: tales autem obligationes atque leges morales-rationales ex allato duntaxat principio deriuari possunt.

Quapropter δ') manifestum est, totius quoque huius philosophiae, quatenus eadem a priori concipitur, duas partes integrantes, in quas nimirum diuiditur, *philosophiam* quippe 1.) *virtutis*, seu moralitatis internae, et *philosophiam* 2.) *iuris*, seu moralitatis externae, ex eodem principio profluere, ita tamen, vt harum partium

quæuis sibi propria habeat superiora principia, a se inuicem distincta. Ratio prioris asserti est, quod secus dictae partes ad vniuersae legislationis huius moralis-rationalis systema non pertinerent; ratio autem posterioris asserti est, quod secus duae istae partes, nisi principiis suis a se inuicem different, non possent dignosci, quin potius confunderentur facile.

Iuuat hic quoque obseruare 4.) libertatem, sanæ rationi repugnantem, esse *immoralitatem*, sana ratione peruiam, quia talis libertas est contraria conceptui moralitatis rationalis; 5.) quamuis obligationem et legem cum tota sua legislatione morali-rationali esse *vniuersalem*, quatenus practica sana ratio, ope cuius solius haec legislatio innotescit, ad omnes spectaret homines, omnesue eorum actiones liberas; deinde 6.) appellari quoque posse *naturalem*, quatenus practica sana ratio foret pars naturae, per quam itidem naturalis innotesceret legislatio; quamuis demum 7.) moralitatis obligationem et legem cum vniuersa morali-rationali legislatione differre a quauis *positiua*, seu statutaria obligatione et lege cum tota sua legislatione /:obiectiua:/, seu tali, quae ex contingente alicuius legislatoris arbitrio immediate profluit, ac propterea particularis est, quatenus tale arbitrium non ad omnes homi-

nes pertineret, et prolatis quibusdam positionibus promulgari posset.

§. 8.

1.) Ex suprema moralitatis rationalis lege tota quoque legislatio virtutis rationalis innotescit in genere (§. 7. δ'). Dum inquam homo perspicit, a se ponendas esse actiones, sanae rationi conformes, facile quoque agnoscit, semet in suis actionibus supremae legislationis moralis-rationalis legi plurimum conformatum iri, si actionibus suis summum illud bonum, quod sana ratio agnoscit, in moralitate, eiue iuncta felicitate consistere, fuerit consecutus; siquidem sanae rationis supremum foret postulatum, vt homo bonum sequatur, malum vero vitet. Hoc vero summum bonum in moralitate, eiue iuncta felicitate consistere, ex eo assequitur homo, quod moralitas /:subiectiue:/ in promptitudine determinandi liberas actiones secundum cognitionem veri boni, quod nimirum sibi veram adfert perfectionem, consistat (§. 3. δ'. ε'), status demum is, qui ex hac boni consecutione profluit, vtpote a malo liber, sit huic moralitati coniuncta felicitas, quodue simili veri boni consecutione maius bonum prudenter nec cogitari possit. Cognita porro hac relatiua necessitate conformandi summo bono liberas suas actiones facile quoque homini

mini peruia euadit *legislatio virtutis rationalis*, /:obiectiua:/, seu complexus obligationum et legum virtutis rationalis; siquidem promptitudo actiones suas liberas secundum cognitum summum bonum determinandi ex comuni vsu loquendi foret virtus, seu moralitas interna, sensu subiectiuo sumta, affectio autem dictae promptitudinis bona, virtus, sensu obiectiuo sumta, et quidem vtroque sensu pure rationalis, quatenus talis per solam rationem foret peruia: igitur supraallata necessitas relatiua, hominis liberae voluntati per sanam rationem imposita ideo, vt is summo bono semet conformet, est *obligatio virtutis rationalis*, et propositio, quae hanc obligationem enunciat, *lex virtutis rationalis*. Dictae autem obligationis atque legis homo assequendo conceptum, facile quoque concipit similibus obligationum atque legum complexum, ceu legislationem virtutis rationalis.

Praemisso hoc legislationis virtutis rationalis conceptu peruium fit α), eiusdem legislationis generale principium in libertatis summo hominis bono, per sanam rationem peruiio, conformatione consistere, et sequenti enunciari posse propositione: *libertas, quae per sanam rationem peruiio summo hominis bono, moralitati videlicet ac eidem iunctae felicitati, conuenit, est moralitas interna rationalis, seu virtus rationalis*; quia

1.) in hac libertatis summo hominis bono, sana ratione peruiro, conformatione continentur virtutis rationalis tam subiectiuus, quam obiectiuus in genere conceptus, siquidem virtus rationalis, subiectiue sumta, seu promittitudo liberas actiones summo bono conformandi sit libertas, et quidem summo hominis bono, per sanam rationem peruiro, conformata, quatenus illa, ni sibi repugnare velit, summum moralitatis gradum, seu virtutem, in summo quoque bono, moralitate nimirum eidem iuncta felicitate quaerere debet; siquidem demum virtus rationalis, obiectiue sumta, seu ipsa eiusdem promittitudinis affectio bona sit ipsa libertatis rationabili summo bono conformatio, quam dictum principium in se continet; quia 2.) ex hoc duntaxat consensu dignosci potest tota legislatio virtutis rationalis a quauis alia legislatione, siquidem hic consensus vltimam legislationis virtutis rationalis a quauis alia legislatione differentiam ostendat, eiusdem nimirum summo bono, sana ratione peruiro, conformationem.

Hinc quoque β .) fluit, quamuis virtutis rationalis obligationem, dicta legislatione contentam, consistere *in necessitate conformandi libertatem summo hominis bono, sana ratione peruiro*, secus enim talis obligatio non foret obligatio virtutis, sana ratione peruiro.

Atque haec necessitas conformandi libertatem sanae rationi est obligatio virtutis rationalis, generaliter sumta, quae sequenti imperatio ceu generali lege virtutis rationalis exprimitur, nimirum: *pone omnes illas actiones liberas, quae per sanam rationem per uio summo hominis bono, moralitati videlicet ac eidem iunctae felicitati conformes sunt, et ommitte contrarias*; quia ex allata obligatione et lege omnes, et solae obligationes ac leges virtutis rationalis deriuari possunt. Siquidem 1.) quaeuis obligatio atque lex virtutis rationalis adducta generali obligatione atque lege contineatur; quia quaeuis talis obligatio allatam necessitatem, et quaeuis lex dictum imperatium sapit, secus enim non foret illa obligatio, haec vero lex virtutis, sana ratione peruia. Siquidem 2.) dicta obligatione atque lege generali solae duntaxat obligationes atque leges virtutis rationalis contineantur; quia quaeuis obligatio atque lex, dicta generali obligatione atque lege contenta, summum bonum, sana ratione peruium, consecrandum praecipit, contrarium vero prohibet, secus enim non sub eadem contineretur, talis autem obligatio atque lex est obligatio et lex virtutis, sana ratione peruia. Accedit deinde, quod allata virtutis rationalis lex generalis generalem obligationum atque legum virtutis rationalis conceptum, supremam

moralitatis regulae, sequenti propositione: *age sanae rationi conuenienter*, expressae, applicitum, in se contineat.

Quare γ.) ex allato principio tota quoque *philosophia virtutis*, seu aretologia rationalis deriuari debet; quia per hanc philosophiam intelligitur quoddam legislationis virtutis rationalis systema, seu mutuo connexarum obligationum atque legum virtutis, sana ratione peruiuae, complexus, quales ex allato duntaxat principio immediate deduci possunt.

Iuuat demum hic commemorare δ.), quod *vitium*, sana ratione peruiuum, sit libertas, summo hominis bono, sana ratione peruiuo, repugnans, quia talis libertas est contraria conceptui virtutis rationalis; et ε.), quod allata virtutis obligatio atque lex sit *vniversalis, naturalis*, et magnopere *differat* ab obligatione atque lege virtutis quauis positiva (§. 7. δ'. — ζ').

§. 9.

2.) Ex eadem suprema moralitatis lege: *age sanae rationi conuenienter*, ex qua legislationis de virtute, sana ratione peruiua, profluit conceptus, innotescit quoque legislationis de iure, sana ratione peruiuo, conceptus (§. 7. δ'). Dum inquam homo perspicit, sibi per supremam moralem - rationalem

legem imponi necessitatem conformandi actiones suas liberas sanae rationi, vna concipit, sibi, in societate cum reliquis constituto, impositam esse necessitatem libertate sua non repugnandi sociali reliquorum secum coëxistentiae, et quidem ita, vt reliquis per eandem legem moralem rationalem permittatur facultas, materiali /; physica:/ quoque coactione semet eousque restringendi, donec non ab eadem cessauerit repugnantia; quia, si aliqui socii irrestrictam sibi libertatem vindicare vellent, neque deinde per sanam rationem permitterentur a reliquis, materiali quoque coactione, ad socialem sui coëxistentiam restringi, nemo eorum in sua societate /: in quali societate quisque libertatis suae vel maxime fit conscius:/ foret vere liber, et omnis inter eosdem exsularet socialitas, status certe sanae rationi maxime conueniens (a); quod inquam aliquis dictorum sociorum vi suae irrestrictae libertatis facere vellet, hoc alter vi eiusdem libertatis restringere posset. Haec tamen necessitas libertate sua non repugnandi duntaxat ad actiones externas, ad socialis coëxistentiae conceptum vi quoque materiali restringendas, refertur, siquidem internis actionibus, quantumcunque de cetero sociali hominum coëxistentiae inimicis, nequaquam impediatur socialis hominum coëxistentia. Cognita porro hac necessitate *legislationis quoque iuri-*

dico-rationalis conceptus est homini peruius; quia ex allata consideratione patet, vna homini per sanam rationem sub coactionis quoque materialis comminatione imponi necessitatem quampiam relatiuam actiones liberas-externas, sociali hominum coëxistentiae repugnantes, omittendi, igitur patet, reuera eidem imponi obligationem quampiam moralem, vna et rationalem (§§. 4. 7.); sed talem, quae *ab obligatione moralitatis internae-rationalis*, seu virtutis rationalis, *est distincta*, quia dicta coactio cum conceptu virtutis, cuius adimpletio ab obligati nequaquam materialiter coacta voluntate dependet, conciliari nequit; quaeue obligationem reuera illam constituit, quam communis vsus loquendi *iuridicam obligationem*, et, propositione quapiam prolatam, *iuridicam legem* appellat, quia ex communi vsu loquendi iuris, ceu moralitatis externae, quatenus sensu subiectiuo sumitur, conceptu venit *hominis facultas (b) quasuis liberas actiones, sociali hominum coëxistentiae non repugnantes, /: siue positue, siue negatiue: / suscipiendi*, quae etiam materiali coactione mediante contra turbatores effectui mancipari potest; hinc quoque intelligitur, quod *obligatione iuridico-rationali* contineatur relatiua necessitas, homini sub comminatione etiam materialis coactionis per sanam rationem imposita, omittendi actiones liberas-externas,

sociali hominum coëxistentiae repugnantes, nomine vero *legis iuridicae, sana ratione peruiæ*, propositio, dictam obligationem exprimens; hinc denique intelligitur, quod *ius rationale*, subiectiue sumtum, recte definiri possit ceu *hominis facultas liberas actiones, sociali hominum coëxistentiae, sola sana ratione peruiæ, non repugnantes, suscipiendi*, quae */: facultas :* etiam materiali coactione median contra turbatores effectui mancipari potest. Similium legum et obligationum complexus est *legislatio iuridico-rationalis /: obiectiue sumta :/*. Quapropter homo habito obligationis et legis iuridico-rationalis conceptu facile quoque similium obligationum atque legum complexum, ceu legislationem iuridico-rationalem concipere potest.

(a) *Societas* est collectio hominum, obligatione tendendi ad certum quemdam communem finem obstrictorum. Societatis conceptus in suo ortu constituit quidem philosophiae virtutis obiectum, quia societas est medium consequendi summi boni, quatenus homines, in societate exsistentes, in consequenda moralitate, eiu iuncta felicitate sibi mutuo adiutorio esse possunt, ast in suo progressu, quatenus libertatis in actionibus externis restrictionem, coactione etiam mediante materiali effectui mancipandam, postulat, euadit quoque philosophiae iuris obiectum. Atque ideo societatis cuiusdam *absolutae*, quae absque omni praeiue posito consociationis facto, et societatis *relatiuae* seu hypotheticae, quae non nisi praeiuae posi-

to consociationis facto *existere* intelligitur, in philosophia virtutis, ceu in philosophiae practicae parte, philosophiam iuris praecedente, explicatio iam superari debet,

(b) *Ius* quoque definiri solet ceu facultas *moralis*, sociali hominum coëxistentiae non repugnans, verum minus recte; quia talem definitionem, manet difficultas propter *moralitatis* expressionem, quae eidem tautologiam inducit, siquidem vox moralitatis denotet bonum (§. 6.), cuius dein conceptus in differentia vltima, qua declaratur, haec facultas sociali hominum coëxistentiae non esse repugnans, continetur, cum id, quod sociali coëxistentiae non repugnat, etiam sit bonum /: ex parte socialitatis consideratum :/. Imo in supraallata definitione, praestat genus proximum nimirum *facultas libere agendi*, ceu proximius genus facultate morali, siquidem sub facultate libere agendi contineatur facultas moralis /: cum immorali :/ ceu species. Sed nec recte definitur ius rationale ceu facultas moralis, legibus naturae /: sanae rationis :/ moralibus permixta, quia haec definitio est latior suo definito, siquidem leges naturae morales praeter iuridicas, seu externae moralitatis, dentur adhuc virtutis, seu internae moralitatis, etc.

§. 10.

Praemisso hoc legislationis iuridico-rationalis conceptu. peruium fit α^2), eiusdem legislationis generale principium in libertatis non repugnantia sociali hominum coëxistentiae, sana ratione peruiuae, consistere, et sequenti enunciari posse propositione: *libertas, quae sociali hominum coëxistentiae, sa-*

*na ratione peruiæ, non repugnat, est moralitas externa rationalis, seu ius rationale; quia 1.) in hac non repugnantia continetur iuris rationalis tam subiectiuus, quam obiectiuus in genere conceptus, siquidem ius rationale, subiectiue sumtum, ceu facultas hominis liberæ actiones, sociali reliquorum hominum coëxistentiæ, sola sana ratione peruiæ, non repugnantes, suscipiendi, sit libertas, et quidem sociali hominum coëxistentiæ, sana ratione peruiæ, non repugnans; siquidem demum ius rationale, obiectiue sumtum, seu ipsa eiusdem facultatis liberæ affectio bona, sit libertatis sociali hominum coëxistentiæ, sana ratione peruiæ, non repugnantia, quam allatum principium in se continet; quia 2.) ex hac duntaxat non repugnantia dignosci potest tota legislatio iuris rationalis a quauis alia legislatione, siquidem hæc non repugnantia vltimam legislationis iuridico-rationalis a quauis alia legislatione differentiam ostendat, eiusdem nimirum sociali hominum coëxistentiæ, sana ratione peruiæ, non repugnantiam; quia 3.) prædicata illa, quæ per alios iurium rationalium interpretes in simili requiri solent principio, huic itidem conueniunt generali principio. Est inquam principium istud *verum*, quia nullam in se inuoluit contradictionem, profluit inquam ex suprema morali-*

tatis lege: *age sanae rationi conformiter*, in supremo alioquin moralitatis principio fundata, ac propterea supremam cogitandi regulam: *vita omnem contradictionem*, in se continente. Est praeterea *perspicuum*, quia cuius, sana ratione praedito, peruia est socialis hominum coëxistentia, et externae libertatis repugnantia socialitati. Est *adaequatum*, quia idem totius et solius legislationis iuridico-rationalis differentiam vltimam in se continet. Est etiam *domesticum*, quod ad solam legislationem iuridico-rationalem distinguendam spectat, quia est adaequatum. Est tandem in moralitate iuridico-rationali *primum*, quia nequit allato conceptu prudenter cogitari quispiam superior, qui totam, et solam moralitatem iuridico-rationalem contineret.

Hinc quoque β .) fluit, obligationem quamuis iuridico-rationalem, dicta legislatione contentam, consistere *in necessitate, libertati imposita, non repugnandi sociali hominum coëxistentiae, sana ratione peruia*, secus enim talis obligatio non foret obligatio iuris, sana ratione peruii. Atque haec necessitas libertate non repugnandi sociali hominum coëxistentiae, sana ratione peruia, est iuris rationalis obligatio, generaliter sumta, quae sequenti imperatiuo, ceu generali lege iuris rationalis exprimitur, nimirum: *omite*

*omnes illas actiones liberas - externas, quae sociali hominum coëxistentiae, sana ratione peruiuae, repugnant; quia ex allata obligatione et lege omnes, et solae obligationes ac leges iuris rationalis deriuari possunt. Siquidem 1.) quaeuis obligatio atque lex iuris rationalis adducta generali obligatione atque lege contineatur; quia quaeuis talis obligatio allatam necessitatem, et quaeuis lex dictum imperatuum sapit, secus enim non foret illa obligatio, haec vero lex iuris, sana ratione peruii. Siquidem 2.) dicta obligatione atque lege generali solae duntaxat obligationes atque leges iuris rationalis contineantur; quia quaeuis obligatio atque lex, dicta generali obligatione atque lege contenta, socialis coëxistentiae, sana ratione peruiuae, diminutionem prohibet, secus enim non sub eadem contineretur, talis autem obligatio atque lex est obligatio et lex iuris, sana ratione peruii. Accedit deinde, quod allata iuris rationalis generalis lex generalem obligationum atque legum iuridico-rationalium conceptum, supraemae regulae moralitatis: *age sanae rationi conuenienter*, applicitum, in se contineat.*

Quare γ .) licet assequi, *iuridicam laesionem*, seu *iniuriam* esse actionem liberam duntaxat externam, iam positam, eamue iuri alterius repugnantem, quae nimirum cum so-

cialis coëxistentiae conceptu conciliari nequit, quia talis saltem impedit socialem coëxistentiam, et iuris conceptui est contraria, atque ideo *iuridice illicita, ac impossibilis* (§. 1.) cognominari potest. Quapropter *nec potest ibi concipi laesio*, vbi iuri renunciatum est; quia laesio est actio libera, saltem iuri alicui repugnans, quale ius ibi existit nullo vbi eidem est iam renunciatum.

§. 11.

Philosophia iuris /: ius naturae, scientia iuris, dicaeologia, et iurisprudencia rationalis, vniuersalis ac naturalis (a):/ est legislationis iuridico-rationalis systema; seu systematicus complexus principiorum /: pure rationalium:/, quorum ductu facultas suscipiendi actiones quasuis liberas, quae sociali hominum coëxistentiae, per sanam rationem peruiuae, non repugnant, homini plene innotescit; quia imprimis philosophia constituit in genere principiorum, ceu quoddam veritatum, sola sana ratione peruiuarum, systema; iuris deinde rationalis, de quo in philosophia iuris tractari debet, nomine venit facultas suscipiendi liberas actiones, quae sociali hominum coëxistentiae, sana ratione peruiuae, non repugnant (§. 9.), quae facultate, ceu formali iure et iurium materialium genere, omnia materialia iura continentur (§. 10.).

Hinc α .) *philosophia iuris profluit ex generali legislationis iurium rationalium principio*, quia quaeuis iura rationalia, et tota legislatio iuris rationalis, quae in toto huius philosophiae systemate continetur, ex eodem deriuari, et cognosci debet principio. β .) Proinde *philosophia ista obligationes quoque et leges iuridicas pertractandas habet*; quia quamprimum philosophia ista legislationem iuridicam pertractandam habet, eo ipso etiam pertractare debet obligationes et leges iuridicas, quarum nimirum complexus legislationem efficit iuridicam; quia deinde cuiusuis ius supponit relatiuam necessitatem, etiam sub coactionis materialis comminatione reliquis impositam, iure prouisum in iuris sui executione non turbandi (§. 9.), ergo obligationem iuridicam, et respectiue legem quoque iuridicam.

(a) Philosophia iuris solet quoque *ius naturae* audire, verum minus recte, si dicta denominatio in sensu proprio sumitur; quia imprimis ius naturae ex sua etymologia indicat ius physicum, quod tamen sana ratione concipi vix potest (§. 4.); quia deinde, etiamsi per naturam pars naturae, nimirum sana ratio, sumatur, tamen hanc appellationem manet difficultas, cum in isto casu per ius naturae reuera intelligatur ius rationale, tale autem ius rationale non est proprie philosophia iuris, sed potius eiusdem obiectum; atque ideo haec scientia nonnisi sensu improprio appellari potest ius naturae, aut ius naturale, quatenus ni-

mirum scientiae obiectum hac nomenclatione ponitur pro ipsa scientia. Philosophia tamen haec bene vocatur *scientia iuris rationalis*; quia quaeuis philosophia est scientia, et quia haec scientia a reliquis partim suo obiecto, quod est ius, partim suo fonte, qui est sana ratio, discrepat. Proinde potest etiam haec philosophia appellari *scientia iuris vniuersalis*, quatenus sanae rationis iuridicum dictamen omnibus hominibus est vniuersale. Hoc quoque modo philosophia haec etiam *scientia iuris naturalis* cognominari potest, in sensu alioquin translato, quatenus sub voce *naturae* pars eiusdem, nimirum sana ratio, intelligenda venit. Philosophia haec etiam dicaeologia *rationalis, vniuersalis atque naturalis* recte cognominatur; quia dicaeologia ex sua etymologia est scientia iuris, et quia haec philosophia pro suo habet obiecto ius, utpote rationale, vniuersale ac naturale. Haec porro philosophia eo respectu, quod in eadem quoque casus obuencientes, et exempla, ab actionibus hominum liberis - externis petita, legibus iuris rationalis applicentur, *iurisprudentia rationalis, vniuersalis ac naturalis* potest appellari; siquidem iurisprudentia rationalis, vniuersalis ac naturalis sit habitus demonstrandi iuridico-rationales, vniuersales ac naturales leges, et iisdem applicandi casus obuencientes. Haec autem definitio ideo est adaequata, quia in genere iurisprudentia ex communi vsu loquendi est habitus leges iuridicas demonstrandi, et iisdem casus obuencientes applicandi. Philosophiae tamen iuris nomenclatio videtur reliquas praestare; quia haec iurium rationalium scientia ipsius philosophiae est continuatio, partemue integram philosophiae

practicae, fatentibus ita cunctis huiusce scientiae magistris, omnino efficit.

§. 12.

Facem plurimum praeferente generali legislationis iuridico - rationalis principio sequentia, cuius iuri rationali propria, praedicata assequi licet.

α.) Quod ius rationale concipi debeat ceu *libertas socialis*, quam quisque in societate quapiam ab omni necessitate, ac obligationis restrictione, coactione quoque materiali sancita, immunem habet, quaeue duntaxat in societate concipi potest; quia ex alato principio quaelibet libertas, quae sociali hominum coëxistentiae, coactione quoque materiali sancitae, non repugnat, est ius, quodue propterea continuo supponit societatem; proinde iuri suo quisque renunciare, aut ad minus iuris sui /: connati :/ exercitio pro suo arbitrio modum ponere potest, quia secus ius non posset genere proximo libertatis contineri; proinde etiam is, qui gaudet iure, vna ab obligatione eiusdem generis, seu necessitate, quae suo iuri opponitur, immunis est, secus enim ius non esset libertas, ab omni materiali-coactiua restrictione immunis; atque ex eadem ratione nemo potest iure suo frustrari *inuitus*.

β.) Quod ius quoduis rationale etiam *materiali coactione* mediante contra turbato-

res in actum et effectum deduci possit, secus enim saepe foret /: contra turbatores:/ inane, vbi tamen eiusdem tanta hominibus necessitas ex sana ratione fit peruia; neque tamen haec coactio, et suo modo iuris cogendi, quod cuius iuri ex suo conceptu copulatur (§. 9.), exercitium, extra dictam iuris cuiusdam impediti suppositionem habet locum, secus iuris rationalis etiam inter homines, qui vel ex legis reuerentia reliquorum iura custodiunt, exsecutio deberet esse cum coactione coniuncta, qualis tamen exsecutio quotidianae repugnat experientiae.

γ.) Quod ius quoduis rationale iam formaliter, iam materialiter, iam deinde obiectiue, iam subiectiue sumi possit. Jus rationis sanae sumitur sensu *formali*, quatenus ius in abstracto, praescindendo ab omni specifico eiusdem obiecto, duntaxat cum vniuersali rationis forma conuenire cogitatur, e conuerso ius idem sumitur sensu *materiali*, quatenus tale in concreto cum suo obiecto consideratur; posteriori igitur hoc sensu factum quodpiam, iuris formalis conceptui applicitum, duntaxat iure exprimitur (a). Jus porro sanae rationis sumitur *obiectiue*, quatenus determinatur, quid sit in se ius rationale, quo in sensu ius rationale est ipsa libertatis sociali hominum coëxistentiae, sana ratione peruiuae, non repugnantia; *subiectiue*

tiue vero adhibetur, quatenus explicatur, quisnam ius illud habeat, quo in sensu ius rationale est hominis facultas suscipiendi actiones liberas, sociali reliquorum hominum coëxistentiae, sana ratione peruiuae, non repugnantes.

δ.) Quod *ius, sanae duntaxat rationis, a iure positiuo discrepet quidem, eiusdem tamen continuo maneat forma.* Quod autem ius pure rationale discrepet a iure positiuo, manifestum est; quia illud ex dictamine solius sanae rationis, hoc vero ex arbitrio legislatorum sociorum /: sanae alioquin rationis: /, ad societatem quampiam relatiuam pertinentium, mutuo, aut collectiuo /: dum nimirum socii in quempiam sibi superiorem, ceu legislatorem, compromittunt: / procedit; quia illud est *vniuersale*, quod ad omnes homines, cunctasue eorum actiones pertinet, siquidem sana ratio, ex qua tale procedit, omnibus sit vniuersalis, et cunctas hominum actiones liberas sua contineat legislatione, hoc vero duntaxat est *particulare*, quod ad socios duntaxat eiusdem relatiuae societatis, alioquin in se particularis, non vero ad alios pertinet, siquidem totum humanum genus in quamdam constantem, relatiuam, eamue vniuersalem societatem necdum coiuisset; quia deinde illud *necessarium* est, siquidem sana ratio, ex qua tale proficiscitur, necessario ex vniuersali cogitandi forma conclusiones su-

as faciat, ac proin etiam ius rationale ita deducatur, ut sub iisdem circumstantiis idem ius semper eodem modo concipi debeat, veritas enim duntaxat una est, quae semper eadem manet, a qua sana ratio deflectere nequit, e conuerso istud est *contingens*, quia vel a sociorum societatis relatiuae mutuo vel collectiuo, arbitrio prouenit, iam autem in utroque casu dictum arbitrium manet contingens; quia tandem illud est *unicum*, *aeternum*, et *immutabile*, hoc vero *diuersum*, *temporarium*, et *mutabile*, siquidem id, quod necessarium est, simul unicum, aeternum, et immutabile, seu tale, quod aliter nunquam esse potest, foret, e conuerso vero id, quod est contingens simul foret diuersum, temporarium, et mutabile. *Nihilominus ius isthoc rationis manet continuo iuris positivi forma*; quia cuiusuis iuris positivi possibilitas in iuris rationalis conceptu fundatur, siquidem cuiusuis obligationis ac legis moralis vltimum fundamentum sit sana ratio: adeoque cuiusuis legis, proinde etiam positivae, fundamentum in sana, iuridico - practica, ratione quaeri debeat; quia deinde cuiuscunque societatis relatiuae socii, quantocunque arbitrio in iure quoepiam constituendo instructi, iuris rationalis, ceu vniuersalis, necessarii et immutabilis, conceptui repugnare sana ratione prohibentur. Ceterum *iuris huius rationalis ne-*

cessitas saltem ratione fontis est consideranda, quatenus nimirum sana ratio, actionem quampiam, sub iisdem adiunctis citra omnem variationem sumtam, semper eodem modo iuri esse conformem, edicit; quia ius etiam rationale ex suo conceptu in sua executione arbitrarium est, atque contingens, ius enim rationale in se nihil est aliud, quam libertas (§. a²), quae arbitraria, et contingens est.

ε.) Quod tandem ius rationale a diversis socialibus circumstantiis, ad quas pertinere potest, diuersas sortiatur nomenclationes. Sic: ius rationale dicitur *absolutum*, vel *relatiuum*, seu hypotheticum, quorum illud homini a sana ratione absque omni per eundem posito acquisitionis facto, istud vero non nisi praemisso quopiam per eundem acquisitionis facto attribuitur. Hinc illud *connatum*, aut originarium, istud vero *acquisitum*, aut deriuatiuum recte appellatur. Ita: ius rationale iam *ius societatis absolutae*, iam *ius societatis relatiuae*, prout nimirum, tale homini in societate absoluta, vel societate quampiam relatiua competere, sana ratione concipitur, appellari quoque consuevit. Nec secus ius rationale dicitur iam *ciuile*, seu politicum, iam *extraciuile*, illud nimirum in socialibus ciuitatis correlationibus, hoc vero in socialibus extra ciuitatem correlationibus sana ratione conceptibile. Ita demum: ius ra-

tionis vel *publicum*, vel *privatum* cognominatur, illud nimirum ad totius cuiusdam relationae societatis, ceu corporis cuiusdam collectivi, et ex pluribus singularibus indiuiduis compositi, hoc vero ad sociales circumstantias singularium duntaxat indiuiduorum, citra immediatum similis relationae societatis, ad quam talia pertinent, respectum sumtorum, spectans (b).

(a) *Ius purum* pro formali, ius vero *applicatum* pro materiali sumi solet quidem, per decursum tamen huiusce tractatus ad euitandam iusto frequentiore et permolestam terminologiam discrimen istud transmittitur. Iuris tamen *theoretici*, pro iure formali sumti, nomenclatio plane ex toto hoc philosophiae iuris systemate expungenda venit, quia in philosophia iuris, quae, ceu philosophiae practicae continuatio, tota practica est, ius theoreticum sustineri nequit.

(b) In deducendo iuris rationalis systemate epitheta iuris rationalis *socialis*, et *extrasocialis* eo facilius transmitti possunt, quod omne ius, quodcumque demum cogitari potest, denique saltem in societate obtineat, iuris vero *socialis* denominatio otiosa sit ibi, ubi eiusdem non existit antithesis, nimirum ius extrasociale.

§. 13.

Ex generali legislationis iuridico-rationalis principio sequentia licet assequi obligationis, et legis iuridico-rationalis praedicata.

α') Quod aliis quoque formulis, supralatae legis generalis formulae aequipollentibus, obligatio quaevis, et lex iuridico-rationalis enunciari possit, velut: *neminem laedere; nemini fac iniuriam; neminem tracta ceu arbitrariarum tuorum finium medium*, et c.; quia dictae formulae reuera prohibent actiones liberas - externas omnes, quae sociali coëxistentiae, sola sana ratione peruiuae, repugnant, quam prohibitionem quaevis obligatio atque lex iuridico-rationalis, ex suo conceptu, continere debet.

β') Quod quaevis obligatio, et lex iuridico-rationalis sit ex sua essentia *negatiua*; quia legi generali, ex qua omnes obligationes et leges iuridicae-rationales proflunt, actione duntaxat *negatiua*, laesionis nimirum omissione, satisfieri potest; haec demum cuius iuridicae obligationi ac legi ita inest negatio, vt, si quis iuridice semet obliget ad aliquam actionem positiuam, tamen eidem obligationi insit *vn̄a* obligatio *negatiua* ponendo actionem obligatam *omittendi* laesionem. Hinc quoque obligatio quaequam iuridica ponendi quamdam actionem positiuam duntaxat ex adiuncta obligatione *omittendi* laesionem capit suam iuridicam essentiam et vim.

γ') Quod tam obligatio, quam lex iuridico-rationalis saltem *actiones liberas - ex-*

ternas, sociali coëxistentiae repugnantes, prohibendas spectet; siquidem suprastabilitas generalis lex duntaxat ad tales, pertineat actiones; quia reliquis actionibus externis, deinde omnibus internis, quomodocunque de cetero comparatis, socialis hominum coëxistentia non turbatur (§. 9.).

δ'.) Quod *'obligationis, et legis iuridico-rationalis custodia'* comminatione quoque *'materialis coactionis sanctionetur'*, et quidem ita, ut talium transgressor materialibus etiam mediis cogi possit; quin tamen is simili coactioni ex practicae sanae rationis dictamine citra laesionis continuationem resistere audeat, quive propterea per similem, in iure fundatam, coactionem in libertate sua socialis coëxistentiae nequaquam restringitur, sed potius ad iuridicos sanae rationis limites, quos excessit, custodiendos repellitur; siquidem sana ratio per legem generalem attributo alicui iure actiones, sociali coëxistentiae non repugnantes, ponendi vna eidem ius attribuat cogendi quemuis, qui semet in iure ponendi similes actiones forte turbaret, ceu socialis suae coëxistentiae impedimentum, secus enim ius illud foret inane, et sana ratio secum implicaret (§. 9.); siquidem porro iure prouisus, dum suo iure utitur, neminem laedat, secus sustineri deberet, dari iura sanae rationis contradictoria: igitur nec laedit laeden-

tem, dum eum materialibus malis afficit; accedit demum, quod nec ultra sanæ rationis iuridicos limites, qui socialis coëxistentiæ conceptu determinantur, quæpiam obtineant sanæ rationis iura, quodue propterea lædens nec aliqua habeat iura, læsum in iuridicæ securitatis consecutione remorantia.

Tandem 2.) quod *quævis lex iuridico-rationalis præter sui generis obligationem adhuc eidem obligationi correlatum ius in se contineat*; quia quævis lex iuridica proxime explicat sui generis *obligationem*, eamue per suum imperatiuum alicui imponit, dein *propositione* sua facultatem quidpiam prætendendi ab obligato semper attribuit tertio, e. g. lex iuridica, quæ debitum soluendum præcipit, imponit debitori obligationem soluendi debitum suum passivum, et vna creditori attribuit ius prætendendi restitutionem debiti sui activi; proinde obligationi cuius iuridicæ correlatum est sui generis ius, et ex rationis identitate cuius iuri correlata est sui generis iuridica obligatio, quin tamen obligatio iuridica, et eiusdem generis ius in eodem individuo vniri possit, quia ius est in se libertas, nulla necessitate obstricta (§, 12.), obligatio vero est necessitas relatiua, libertati /: conditionate: / impo-
sita, quæ duo sibi contradictorie opponuntur; potest tamen concipi, ius et obligatio

eiusdem generis diuisa inter duo indiuidua, quorum alterutrum libertatem, ceu facultatem liberam praetendendi alteri impositam necessitatem, alterum vero habet necessitatem semet libertati, ceu liberae indiuidui prioris facultati, conformandi, velut: id allatum exemplum docet. Euenit tamen, analogam alicui iuri obligationem in quopiam indiuiduo conuenire, quin propterea talis ad idem iuris genus referatur, velut: dum creditor Titius gaudet iure repetendi a debitore Sempronio debitum suum actiuum x., quod forte alicui tertio Meuiio acceptanti appromisit, tempore conuento a Sempronio reuindicatum, se daturum dono, quo alioquin in casu Titius gaudet iure debitum x. reuindicandi a Sempronio, et vna obligatur idem reuindicare ab eodem Sempronio, quin tamen ius istud, et obligatio haec Titii foret generis eiusdem, siquidem iuri reuindicandi debitum actiuum x. correspondeat sui generis obligatio Sempronii idem praestandi debitum passiuum, obligationi vero, qua Titius est Meuiio obstrictus, reuindicandi debitum actiuum x. a Sempronio, reuindicatumue eidem Meuiio praestandi, correlatum sit eiusdem Meuii ius praetendendi donum, per Titium appromissum, et per se /: Meuium: / formiter acceptatum: adeoque iuri reuindicandi debitum actiuum x. non est vna corre-

lata obligatio tale reuindicandi ; siquidem hac non Sempronio, sed tertio alicui Meuiio, a Sempronio diuerso, Titius obstringatur ipse.

§. 14.

B.) Siquidem legislatio moralis - rationalis, a priori deducta, recidat in legislationem iuris, et virtutis, a posteriori vero deriuata, plures empirico - rationales disciplinas contineat, eius quoque specierum differentia facile peruia euadit, si 1.) fuerit assignatum discrimen inter philosophiam iuris et philosophiam virtutis, ceu scientias, quarum prior legislationem iuris rationalis, posterior vero legislationem virtutis rationalis pro obiecto habet, si dein 2.) tale fuerit datum discrimen inter philosophiam iuris, ceu praesentis tractatus praecipuam scientiam, et phroneseologiam, ceteris empirico - rationalibus disciplinis philosophiae iuris maxime affinem disciplinam.

1.) Philosophia iuris /: dicaeologia rationalis :/ cum philosophia virtutis /: aretologia rationali :/ fontem eundem, nimirum sanam rationem, habet, atque ideo vtraque partem philosophiae integrantem constituit. Vtraque haec philosophia in dirigenda hominis voluntate versatur, atque ideo etiam vtraque ad vniuersum philosophiae practicae systema refertur. Vtraque demum, dum voluntatem hominis dirigit, cum primis ad actiones hominis

liberas, quibus inquam eiusdem voluntas tanquam totidem signis declaratur, a priori ad verum bonum determinandas, spectat, atque ideo *scientiarum* quoque *moralium* numero continetur. Nihilominus vtraque haec philosophia practica, et moralis simul, proprium sibi habet systema; quia vtraque propriam habet legislationem, deinde proprium finem, proprium elaterem, et propriam sphaeram

α.) Philosophia inquam iuris a philosophia virtutis *differt sua legislatione*; quia philosophia iuris generale habet principium libertatis sociali hominum coëxistentiae, sana ratione peruiat, non repugnantiam, adeoque in eadem generalis obtinet libertatis dicto principio conformandi obligatio, sequenti imperatiuo: *omitte omnes illas liberas externas actiones, quae sociali hominum coëxistentiae, sana ratione peruiat, repugnant* (§. 10.), expressa, qua saltem prohibetur, *homo ceu purum quorundam arbitrariorum finium medium per alterum hominem tractari* (§. 13. α.); philosophia vero virtutis generale habet principium libertatis summo bono, sana ratione peruiat, conformationem, adeoque in eadem generalis obtinet libertatis dicto principio conformandi obligatio, sequenti imperatiuo: *pone omnes illas liberas actiones, quae cum summo hominis bono, sana ratione peruiat, moralitate nimirum ac eidem iunc-*

ta felicitate, conciliari possunt, et omittite contrarias, expressa, qua praecipitur, homo ceu finis per quemuis alium hominem tractari, qua demum fit, vt homini non saltem moralitatis et huic iunctae felicitatis finium, ad se pertinentium, cura, sed talium finium, ad alios quoque homines spectantium, promotio, atque ideo omnibus etiam hominibus in communi mutuuum adiutorium imponatur.

§.) Vtraque haec philosophia *differt suo fine*; quia philosophia iuris intendit *hominis libertatem reddere securam* (§§. 9. 10.), dum nimirum illarum legum rationalium custodiam exigit, sine quarum obseruantia inter homines socialis coëxistentia, actiuitas inquam externa, in hominum commercio libera, est impossibilis: adeoque sustinet *hominem reddere ceteris comportabilem, seu externe bonum*; philosophia vero virtutis intendit *summi boni consecutionem hominibus reddere faciliorem*, dum nimirum cunctarum legum moralium custodiam, ad moralitatem ac huic coniunctam felicitatem consequendam necessariam, praecipit: adeoque sustinet hominem reddere *interne bonum* (§. 8.). Quare philosophiae iuris placitis sola actionum externarum praescindendo a quouis motiuo interno cum lege conuenientia (a) satisfit, philosophiae vero virtutis placitis saltem tali actionum, siue internarum siue externarum, le-

gi conformatione., quae ex repraesentatione obligationis moralis-rationalis, et reuerentia legis eiusdem proficiscitur, satisfieri potest; quia socialis hominum coëxistentia in dicto casu reuera est possibilis, dummodo actiones liberae-externae eiusdem conueniant legibus, siue demum istae ex pura bona voluntate, siue ex metu coactionis, siue ex inclinatione ad societatem, siue ex alio quocunque sensuali motiuo proueniant, summum vero bonum duntaxat ex virtutis rationalis consecutione est possibile, qualis virtus, oeu interna moralitas, omnem suam essentiam ex obligati bona, materialiter nequaquam coacta, voluntate capit, quae proinde ex obligationis moralis-rationalis repraesentatione, et legis eiusdem generis reuerentia exoritur.

(a) Haec actionum liberarum-externarum praescindendo a quouis motiuo interno cum legibus iuris conuenientia *legalitas*, actionum vero liberarum ex interno motiuo, reuerendi nimirum legem-moralem, cum legibus virtutis conuenientia *moralitas* passim audire solet exclusiue, verum non satis concinne. Legalitatis inquam allatus sensus vapulat ex eo, quod legalitas in genere sit actionum liberarum cum lege conuenientia, adeoque etiam actionum liberarum cum legibus virtutis conformitas; legitimum enim est id, quod legi est conforme. Moralitatis autem allatus sensus claudicat ex eo, quod non saltem actiones, conceptui virtutis conformes, sed etiam actiones iuridicae appellari debeant morales; siquidem forent actiones

liberae, secundum cognitionem veri boni determinatae (§. 3). Hinc praestat supraallatae legalitati *moralitatem externam*, et moralitati adductae *moralitatem internam* substituere, quia vtraque actionum conuenientia est moralitas, et quidem illa est externa, quoniam socialem hominum coëxistentiam, quae externa est, respicit, ista vero est interna, quoniam ad summum bonum, quod mere internum est, refertur.

§. 15.

γ.) Vtraque haec moralis scientia distinctos fini suo consequendo applicat *elateres*; quia philosophia iuris elatere, seu motiuo, conatur voluntatem impellere externo, nimirum coactione materiali (§. 9.), philosophia vero virtutis motiuo interno, per sanam nimirum rationem practicam per uia obligationis repraesentatione, et legis reuerentia voluntatem ad obseruandas leges morales allicere, ac persuadere satagit (§. 8.) Quare obligationes rationis morales, quas philosophia iuris proponit adimplendas, vocari quoque solent *obligationes necessitatis* /: officia coactiua:/, obligationes vero morales-rationales, ad quarum obseruantiam philosophia virtutis voluntatem hominis flectere nititur, vocari solent *obligationes omnimodae libertatis* /: officia non coactiua:/, quatenus nimirum obligati ad illarum expletionem iuridice cogi possunt, hae vero obligationes quauis iuridi-

ca coactione pessumeunt, siquidem istae in con-
 uicto de eorum rationabilitate intellectu, ac
 huic conformi bona, et nequaquam materia-
 liter coacta voluntate fundentur. Ceterum
 praedicatum libertatis duntaxat in allato sen-
 su obligationi attribui potest; quia quaeuis
 moralis obligatio de sua essentia est necessi-
 tas /:relatiua:/.

δ.) Sua est denique philosophiae huic
 utriusque *sphaera*; quia philosophia iuris so-
 lum eas actiones externas respicit, quae ad
 socialem hominum coëxistentiam procuran-
 dam pertinent, philosophia vero virtutis quas-
 uis actiones internas et externas, quae ad
 moralitatem, ac huic iunctam felicitatem con-
 sequendam spectant, praeceptionibus suis com-
 plectitur. Quare philosophia virtutis sua sphae-
 ra, ex suo principio, et fine, etiam actiones
 externas, ad socialem coëxistentiam neces-
 sarias, dummodo hae virtutis elateri confor-
 mes sint, complectitur; quia eadem lege, qua
 homines tamquam fines tractandi praecipiun-
 tur, vna etiam prohibentur ceu arbitrario-
 rum finium media tractari. Quapropter phi-
 losophia haec virtutis, praeterquam quod ac-
 tiones iuris hoc modo nitatur reddere iustas
 (a) proponit adhuc dirigendae humanae
 voluntati inseruientes obligationes erga De-
 um, erga se, et officia erga alios aequitatis,

tamquam totidem consequendae moralitatis, ac huic iunctae felicitatis media.

Allata haec differentia est pure scientifica; quia in praxi apud hominem allata vtraque philosophia coniuncta esse debet. Philosophia inquam iuris debet hominis munientiae libertati inseruire, vt liberis suis actionibus cumprimis ad virtutem tendere possit, philosophia vero virtutis eundem reflectere debet, ne actionibus suis iuridicis, quae virtutis perfectionem necdum sunt assecutae, moralitati internae repugnet, quin tamen ideo haec philosophia virtutis exsequendis iuribus vnquam esse possit impedimento externo, quia haec ab omni coactione materiali est aliena.

(a) *A iure differt iustitia* perfectione sua, ad moralitatem, ac huic iunctam felicitatem consequendam apta; quia iustitia est virtus alios non laedendi, ex reuerentia solius legis moralis proueniens, ius vero est saltem moralitas externa, seu externarum, liberarumue actionum, praescindendo a quouis interno motiuo, cum legibus, laesionem tertii prohibentibus, conuenientia. Quare hoc respectu philosophia iuris de iustitia nequaquam tractare debet.

§. 16.

2.) Est praeter legislationem virtutis, et iuris alia adhuc practica sana ratione peruia legislatio, quae hominum, in quibuscunque adiunctis positorum, conside-

rat, et scrutatur utilitates, quae, in formam scientiae redacta, *phroneseologia* audit (§. 14.). Haec *phroneseologia a philosophia iuris* differt; quia *phroneseologia* ad illam philosophiae practicae partem referri debet, quae empirico-rationales complectitur veritates, ex experientia nimirum per sanam rationem a posteriori deriuatas, philosophia vero iuris ad illam spectat philosophiae practicae partem, quae veritates, pure a priori peruias, continet; quia deinde *phroneseologia* constituit philosophiam utilitatum hominis, in quibuscunque adiunctis positi, ergo pertinet etiam ad hominem extra societatem existentem, vbi tamen philosophia iuris hominem, saltem in societate existentem, considerat, et eiusdem in socialibus correlationibus iura, sanae rationi peruia, scrutatur (§. 11.), atque ideo *phroneseologiae*, quominus illa suis praeceptionibus in societate abutatur, ponit limites; quia deinde *phroneseologiae* quoque species differunt a dicta philosophia iuris. Ad *phroneseologiae* species referuntur: politica, oeconomia nationalis, paedagogia, et reliquae empirico-rationales scientiae. Ex his *politica a philosophia iuris ex eo differt*, quod politica sit systema principiorum empirico-rationalium, quorum ductu peruia euadunt quaeuis conciuilitati utilia media, proinde haec politica ad hominem saltem ciuilem,

phi-

philosophia vero iuris ad hominem, etiam extra ciuitatem consideratum, spectat; quod porro illa institutorum ciuilium proxime scrutetur vtilitatem, haec vero, num instituta ciuilia conueniant iuris rationalis conceptui, expendit, atque sic beneficam suam manum politicae praebet. *Oeconomiam nationalem, vero inter et philosophiam iuris illa est differentia*, quod oeconomia nationalis sit systema principiorum empirico-rationalium, quorum ductu quaeuis innotescunt incrementa, atque decrementa, quae natio quaedam, a quibusuis institutis ciuilibus praescindendo considerata, in producendis, augendis et consumendis facultatibus suis externis-corporalibus experitur, adeoque peruius vna fit modus optimus, in talium facultatum productione ac consumptione tenendus, vbi philosophia iuris praeter alias humanas correlationes sociales, quid in similium facultatum productione ac consumptione sit iuris rationalis, proxime expendit. *Paedagogia differt in eo a philosophia iuris*, quod sit systema principiorum empirico-rationalium, quorum ductu reliquis vtilior ac melior in iuuentute educanda modus innotescit, philosophia vero iuris non saltem iuridicas correlationes in iuuentutis educatione, sed etiam in quibusuis aliis humanitatis negotiis considerat. Hoc etiam modo phroneseologia domestica patrum-

familias, et ceterae disciplinae empirico-rationales, philosophiae practicae partes, differunt a philosophia iuris.

Articulus III.

De philosophiae iuris A.) vsu, B.) subsidiis, et C.) partitione.

§. 17.

A.) Philosophia iuris est scitu utilis cuius homini, scientiarum moralium cultoribus, societatum porro relatiuarum imperantibus, eorumue officialibus, et tandem ipsis quoque gentibus.

*α.) Philosophiae iuris studium est cuius homini utile; siquidem cuiusuis hominis intersit, suorum iurium nosse sphaeram, seu scire, quid is ab aliis sibi praestandum, etiam adhibita coactione materiali, praetendere, quid demum ab aliorum duntaxat bona voluntate praestolari possit; siquidem deinde cuiusuis interesse debeat, suarum cognitionum perficere sphaeram, adeoque praecavere errores, qui ex pseudo-doctorum commentis, ac praeiudiciis siue in diiudicandis gentium moribus, siue in expendendis re-
rumpublicarum institutis, siue in perficiendis quorumuis singulorum indiuiduorum negotiis euenire solent.*

β.) Scientiarum quoque moralium cultoribus philosophia iuris magno est subsidio.

Tales inquam scientiae morales aliae sunt pure rationales, aliae autem positivae, seu statutariae, ad illas referuntur philosophia virtutis, dein phroneseologia, et reliquae empirico-rationales, ad libertatem humanam probe dirigendam relatae, disciplinae, ad has vero pertinent virtutis religioso-revelatae, legislationum item civilium, aliarumue societatum relatiuarum sanctiones arbitrariae, quales sunt illae, quae in iurisprudencia romano-civili, romano-ecclesiastica, et hungarica continentur. In his vero omnibus scientiis perpoliendis cum primis earumdem sphaera a sphaera cognatae quoque scientiae moralis, philosophiae nimirum iuris, accurate est distinguenda, secus per heterogenea, ex philosophia iuris mutuata, iisdemue inserta, obiecta confusionem oriri necesse est; quia dein quisque alicuius scientiae moralis doctor cauere debet, ne quidpiam philosophiae iuris, vtpote necessarii, vniuersalis, aeterni et immutabilis (§. 12. d'), contrarium in sua doctrina statuatur, secus, falsas doctrinas eidem euenire, necesse est. Haec aliquin omnia recte cognita duntaxat philosophia iuris euadunt possibilia.

7.) *Nec minoris usus est philosophia iuris ipsis societatum relatiuarum imperantibus; quia talium interesse debet respectu reliquorum suae ciuitatis subditorum sociorum*

nosse iurium suorum sphaeram, quam facillime cognoscere possunt ex philosophia iuris, quae ad omnes ciuitates, ciuitatumue socios propter suam vniuersalitatis notam spectat; imo, etiamsi mutua imperantium et subditorum iura fundamentalibus ciuitatis pactis determinari soleant, haec tamen particularia sunt, omnesue possibles in dicta imperantium et subditorum correlatione casus nequaquam continent, adhuc insignem eiusdem philosophiae vsum capere possunt imperantes; quia deinde imperantes debent suae societati ferre leges sociales /:positiuas:/, quas eo durabiliores efficient, quo magis fuerint conati, vt eadem ad leges iuridicas - rationales, per se necessarias, et immutabiles accedant, quarum demum sanae rationi conuenientia saltem ex philosophia iuris certo cognosci potest; quia praeterea debent imperantes easdem leges exsecutioni mancipare, quod eo facilius praestabunt, quo vberiore philosophiae iuris habuerint cognitionem, siquidem, si in ferendis legibus posituius spiritum philosophiae iuris debent obseruare, debeant etiam eundem in earumdem legum posituarum exsecutione obseruare, ne secus sibi repugnent, siquidem demum societatis cuiusdam legislatio quantumcunque de cetero frequens et vasta, ea denique semper maneat particularis, et omnes casus, qui in legum

positiuarum executione eueniunt, vtpote in se infinite possibles, complecti non possit, adeoque legislator similes in legum suarum executione impreuisos casus, quorum decisionem prorogare nequit, debeat ex tali legislatione, quae desideratos casus iam diremtos continet, quaeue suos etiam subditos vniuersaliter obligat, decidere ac exsequi. Hinc quoque officialium, qui imperantis vicarii, et mandatarii sunt, omnino interesse debet, philosophiam iuris sibi reddere propriam tum vt leges, sanae rationi conformes, in suscipienda legislatione suo imperanti proponere possint, tum vt spiritum eundem, quem eorum imperans in latis a se legibus fuit secutus, etiam ipsi in earumdem executione obseruare, casusue obuientes, et immediate legibus positiuis non decisos, ex sana ratione decidere ac perficere possint.

d.) *Plurimum autem prodest gentibus iurisprudentiae rationalis cultura*; quia etiam tales, vt mutuo socialiter coëxsistere possint, ab iisdem actionibus, quae huic coëxistentiae ex sana ratione repugnant, abstinere debent, quaeue iisdem sufficienter ex philosophia iuris innotescunt; accedit deinde, quod gentes, siquidem qua tales legislatorem quempiam imperantem /: humanum: / nec agnoscant, et paucas, duntaxat ex mutuis pactis ortas, determinationes, in cer-

tis casibus obseruandas, per sanam rationem sibi impositas habeant, in legislationis cuiusdam positivae defectu continuo reliquam sane rationis iuridicam legislationem, omnibus hominibus, ac proin etiam omnibus gentibus vniuersalem, consulere necessitantur,

§. 18.

B.) Philosophiae iuris generale principium facile cogitantem, qui etiam compluribus, a philosophia iuris distinctis, cognitionibus est imbutus, ad discernenda eiusdem philosophiae iuris *subsidia* deducit. Subsidiarum enim philosophiae iuris censu continentur cuncta illa scita, quae vberius cognoscendis philosophiae iuris placitis inseruiunt, Talia sunt omnes philosophiae partes, iurisprudencia positiva, pragmatica iuris positiui, et literaria totius philosophiae, ac cum primis eiusdem philosophiae iuris historia vna cum iurisconsultorum de iure rationali commentationibus; siquidem, supraallato principio desiderata, socialis hominum coëxistentia vberiore ex dictis doctrinis, et iuris rationalis commentationibus nanciscatur sui explanationem.

a.) *Philosophia* enim *vniuersa* quauis sua parte vberius cognoscendae philosophiae iuris inseruit; quia id iam vel ipsius philosophiae docet conceptus, quo systema veri-

tatum rationalium , inter se connexarum , quae intellectus et voluntatis humanae perfectionem pro obiecto habent , denotatur ; quia deinde illa philosophiae parte , quae logicae compellatione a reliquis distinguitur , quaeue artem recte cogitandi docet , non secus illa philosophiae parte , quae antropologia vocatur , quaeue praeter corporis humani dotes in sua somatologia adhuc animae facultates ac inclinationes in sua psychologia explicat , iuris philosophum minime destitui posse , res loquitur ipsa.

β'.) Iurisprudentia positiva (§ 12. δ'.) ex arbitrariis legibus , quibus societatis cuiusdam relatiuae iura fundantur , consurgit ; iam autem talium cognitio iuris rationalis philosophum saepe ad disquirenda momentosiora socialia obiecta reflectit , atque sic similis disquisitio philosophiam iuris pretiosissimo humanitatis thesauro auget.

γ'.) Pragmatica iuris positivi (a) est logico-historica ortus , progressus et consecratorum iuris positivi disceptatio , ex philosophia iuris , ac circumstantiis historicis , et topicis cuiusdam in specie relatiuae societatis deducta : ergo pragmatica haec docet iurisprudentiae cuiusdam defectus , et perfectiones , quae vberimam philosopho super iure rationali philosophandi praebet materiam.

δ'.) *Historia literaria philosophiae totius, ac in specie philosophiae iuris* exponit totius philosophiae in genere, philosophiae vero iuris in specie vicissitudines, diuersos auctores, eorumue diuersa systemata, ac diuersas, vel iam resolutas, vel adhuc controuersas difficiliore*s* iuris quaestiones. Tales vero auctores, eorumue sententiae ac opiniones philosophum in docenda philosophia iuris contra errores munire, et in detegendis momentosissimis iuris rationalis veritatibus mire adiuuare possunt (b).

(a) Pragmaticam iuris positiui praeplacet quidem quibusdam appellare *philosophiam iuris positiui*, quia talis reuera auctorem requirit vere philosophum, qui positiua instituta cum rationalibus comparare potest, nilominus videtur *pragmaticae iuris positiui* denominatio doctrinae, quae iuris cuiusdam positiui causas, et consectaria spectat, magis conuenire; quia haec, vt positiuae cuiusdam legislationis spiritum exponere possit, habet legum, a potiori arbitrariarum, causas, et consectaria recensenda, qualis de causis, et consectariis doctrina potius est pragmatica, quam philosophia.

(b) Scriptorum, qui philosophiam iuris commentationibus suis auxerunt, mentio vberior recurrit iam in praefatione.

§. 19.

C.) *Philosophiae iuris partitio* ex consideratione eiusdem generalis principii profluit; quia principium isthoc continet vltimam

legislationis iuridico-rationalis a quavis alia
 legislatione differentiam, sociali nimirum ho-
 minum coëxistentiae, sana ratione peruiuae,
 non repugnantiam (§. 10.); igitur iuridico-ra-
 tionalis legislatio, et philosophia iuris, quae
 legislationem istam pro obiecto habet, conti-
 nuo sociale[m] quamquam hominum coëxisten-
 tiam, sana ratione peruiuam, supponit; iam
 autem socialis huius coëxistentiae species
 dantur plures, ceu totidem societates, a se
 inuicem magnopere discrepantes: ergo etiam
 legislatio iuridico-rationalis vna cum sua phi-
 losophia pro societatum diuersitate plures spe-
 cies, a se inuicem differentes, habere debet.
 Ex accurata vero consideratione essentiae so-
 cietatum, quae inter homines eueniunt, pro-
 xime patet, easdem omnes esse relatiuas excep-
 ta vnica absoluta; quia cunctis et vniuersis
 hominibus per sanam rationem est absolute
 imposita obligatio tendendi ad summum bo-
 num, et semet dicti communis finis obtinendi
 gratia mutuo iuuandi (§§. 6. 7. 14.), atque ideo
 ex hac obligatione necessario oritur *societas*,
 seu collectio omnium hominum, qui ad eun-
 dem finem communem constanter tendere ob-
 ligantur. Haec porro societas ideo est *absolu-
 ta*, quia ex sana ratione intelligitur, inter
 cunctos homines absque omni praëuio conso-
 ciationis facto iam existere (§. 9. (a)). Praeter
 hanc societatem siquidem homines diuersorum

prosequendorum finitum gratia semet vnire possint, licet obseruare, inter homines existere plures societates, quae tamen omnes saltem relatiuae sunt, siquidem earundem existentia nonnisi per homines posito consociationis facto euenire possit. Hinc in legislationis iuridico - rationali systemate expedit cum primis *de legislatione iuridico - rationali societatis absolutae*, quae quasuis societates relatiuas sua praecessit existentia, deinde vero *de legislationibus iuridico - rationalibus societatum relatiuarum* tractare. Quapropter philosophia quoque iuris, ceu eiusdem legislationis iuridico - rationalis systema (§. 21.), eandem subit partitionem.

Österreichische Nationalbibliothek



+Z166892800

